EPISTOLA

A D

DOMINICUM ALFENUM VARIUM

I. C.



J. ANDREAS SERRAUS

DOMINICO ALFENO VARIO I. C.

S. P. D.

LEgi perlibenter, mi Vari, doctiſſimum tuum Commentarium ad Federici Imp. Conſtitutionem, quæ incipit, *Prædeceſſorum noſtrorum*: in quo cum tui in me mirifici amoris monumentum extare voluiſti; tum vero illud me valde delectavit, quod in totius legis præcipua ſententia eruenda, tua ratio a mea minime diſcreparet. Tecum enim convenit mihi, vitiatam omnino fuiſſe Federici Conſtitutionem, eamque tandem, ad antiquiſſimi codicis fidem, ſaniori, meliorique ſuæ lectioni eſſe reſtitutam. Quod profecto quum ad germanam legis ſententiam deſumendam maxime pertinere exiſtimaſſem; id ipſum tu, me quidem libente, peræque multis confirmas. Unum vero eſt, in quo meam interpretationem minus probare profiteris. Scilicet priora illa verba *Prædeceſſorum noſtrorum* aliorſum, atque ego, aliique acceperamus, accipienda arbitraris. Quod tu quum antea mihi narraſſes, Federici nempe prædeceſſores illos te alios omnino, quam Siculos Reges fuiſſe, exiſtimare; in eo te a nobis diſſentire, in re præſertim haud magni

 pon-

ponderis, parum referre putavi: ac facile patiebar, te, Virum harum rerum ſcientiſſimum, alia adinveniſſe monumenta, quæ rem exploratiorem facerent. Attamen poſtquam ad eum locum veni, dum ſæpius tuas conjecturas expendo, exquiſitam quidem bonarum rerum copiam inveni: verum nihil, fateor, tanti ibi eſſe mihi viſum eſt, quare in priſtina illa mea ſententia non perſeverarem. Et quoniam res nonnihil etiam ad Alfonſum Airoldum pertinere videtur, ad eum quum perrexiſſem, e veſtigio cum ipſo totum Commentarium tuum perlegimus, perpendimuſque univerſa, quæ affers argumenta. Quid cenſes? Nihilo minus, quam antea, certum apud nos, fixumque manſit, non alios prædeceſſores illos, quam quales in Patricianis adnotationibus indicaveram, hoc eſt Normannos Reges noſtros, Rogerium, & Guilelmum fuiſſe. Quam ad rem Airoldus (noſti enim quanta ſit in eo ampliſſimo Viro cum ſingulari virtute rerum præſtantiſſimarum ſcientia) tot in præſentia mihi recitavit monumenta; ut nullam amplius res habitura eſſe difficultatem videretur. Quare non fuit mihi diutius dubitandum, quin ſtatim ad te hoc litterarum ſcriberem, non tam refellendi tui cauſa, quam ea, quæ nobis venerunt in mentem, ſignificandi: ut, quanquam in diſputatione hac tecum mihi rem futuram videam, quippe alia mihi, quam tibi ſententia probetur; inde

tamen

tamen nullam noſtræ amicitiæ conjunctionisque orituram diſtractionem; quin potius, ea integra manente, id ipſum ad hiſtoriam illuſtrandam, fortaſſe non inutile futurum exiſtimem.

Totius igitur ſententiæ tuæ ratio & ſumma hæc eſt. Non videri veriſimile, Rogerium Comitem Normannum eam legem promulgaſſe, cujus inſignia extant liberalitatis in Eccleſiam monumenta, ut partem etiam omnium ſuarum opum tertiam eidem, de Rom. Pontificis ſententia, attribueret: nec aliter cogitandum de ceteris, qui ſecuti ſunt, Normannis Principibus. Ergo *Prædeceſſores* illos alibi perquirendos, apud Byzantinos ſcilicet Imp., qui, quoniam & ætate Federicum præceſſere, &, dum Siciliæ Regnum tenuere, leges ejuſmodi ediderunt; ad hos potius, quam alios prædeceſſores ſuos reſpexiſſe Federicum. Suſpecti autem poſtulari poſſe diploma Manfredi Regis: atque ignorantiæ arguendum Gualterium de Ocra Cancellarium. Ante vero Federicum nunquam in Sicilia latam fuiſſe ea de re legem: & quæ in Federici Reſponſione ad Pontificis poſtulata leguntur verba, *Secundum formam antiquæ Conſtitutionis Regni Siciliæ*, ea mendoſa eſſe, & pro *antiquæ*, legendum *antea datæ*.

Hæc fere ſumma eſt tuarum rationum, quæ ad tuam confirmandam opinionem facere viſæ ſunt. Ad quæ ſingula ante-

 quam

quam ordine aggrediar, res postulat, ut tibi totius instituti mei rationem planius exponam. Ego, Vari doctissime, quum eo devenissem, ut Federici Constitutionem, pro injuncti mihi muneris ratione, interpretarer, nihil prius mihi faciendum putavi, quam Stephanum Patritium amplissimum Regium Consiliarium, ejus ipsius Consultationis auctorem, consulere, eo certe consilio ac spe, ut ab illo, pro ipsius singulari doctrina, quod maxime mea interesset, perdiscerem. Ac re in utramque partem perpensa, in eo tandem prorsus convenimus, non ab aliis, quam a Normannis Regibus suam Federicum repetiisse Constitutionem. Additoque insuper Viri præstantissimi Alfonsi Airoldi suffragio, ac prolatis, quæ idem nobis suppeditavit, monumentis, rem satis exploratam fecisse existimavimus, ut plura desiderari non arbitraremur. Sic enim nostræ interpretationis rationem instituimus.

Quum Federicus Imp. veterem suorum prædecessorum Constitutionem, quam turbatio præteriti temporis antiquarat, instaurare professus est; non quoslibet suos prædecessores, nec vaga illorum nomina usurpasse, sed certos prædecessores, certosque ejus Constitutionis auctores respexisse oportuit. Nihil enim tam alienum a Principe legis conditore, quam verba illa effari sine certa causa. Quare, si vocabuli ipsius vim sequamur, quod hoc loco absur-

furdum non videtur, prædeceffores ob id Federicus appellare poterat, vel quod generis familiæque neceffitudine aliqua eos attingeret; vel quod Principatus ac dignitatis jus ab iifdem defumpfiffet: nam qua alia de caufa eos prædeceffores fuos vocare potuerit, non video. Utro autem ex his Græci Principes Federico proxime præceffere? Neutro profecto dabis. Nullum quippe jus Principatus Federicus a Græcis repetebat. Regnum enim a Normannis acceperat: Normanni autem, five belli, five fanguinis jure, Benevento, Salerno, Capua, quarum urbium Principatum Longobardi tenebant, potiti, Siciliaque Saracenis erepta, plurimas has provincias in unum veluti corpus redegerunt, Regnumque in Italia inftaurarunt. Quod fi nonnullas Normanni ditiones Græcis eripuere, veluti in Calabria, Apuliaque; Imperium illud Italicum Græcorum, ubi Ducatum Beneventanum qua late patebat, non qua Caroli Magni, Pipini, Ludovicique temporibus, fed qua recentiorum Occidentalium, Othonum nempe, & Henrici I, ac II jura ferebantur, demas, tam anguftis limitibus contineri comperies, ut ex eo prædeceffores fuos Federicus accipere, nifi per contemptum, non poffet. Quod fi his addideris, quod Normanni præfeferebant, quidquid unquam adepti fuerant, id acceptum potius retuliffe juribus Italicis, quam Byzantinis; prædecefforis nomen evanefcit:

nunquam enim universæ Normannicæ ſtirpis Principes, ut prædeceſſores ſuos Græcos Imperatores agnovere: Nullam autem Federicum neceſſitudinem, ſanguiniſque conjunctionem cum Imperatoribus Græcis habuiſſe, nihil attinet demonſtrare, quum id cuique exploratum exiſtimem. Quoniam igitur nulla ſatis probabili cauſa Byzantinos Federicus prædeceſſores ſuos accipere poterat; quis vel primo obtutu non videt, prædeceſſores illos nunquam congruentius, aut melius intelligi, quam ſi ad eos referantur Principes, qui has noſtras Italicas Provincias conſociarunt, legeſque eis, & Regni formam dedere? Prædeceſſores videlicet illos jure ſuos vocavit Federicus, a quibus cum genus duxerat, tum Regium jus acceperat. Et re quidem vera quotieſcumque prædeceſſorum nomen uſurpatur (uſurpatur autem ſæpius tam in Conſtitutionibus, quam in aliis diplomatibus) ad Græcos quidem Imperatores omnino nunquam; conſtanter vero ad Normannos Principes trahi ſemper illi poſſunt. Ita prorſus in Conſtit. lib. III tit. IV deſcriptum legimus: *Quod qui de prædictis tenuerint aliquid, de quo non habeant privilegium Divorum Regum Rogerii, & Guilielmi I, aut II, Prædeceſſorum noſtrorum*. Ita pariter ib. lib. I tit. XLVII ubi agitur *de ſervando honorem Comitibus, Baronibus, & Militibus*, nempe de rebus feudalibus, lites ſtatuitur dijudicandas *Secun-*

cundum Consuetudines Regni approbatas, & demum secundum jura, quibus Constitutiones Prædecessorum nostrorum, & nostræ non obviant. Dic, sodes, prædecessores isti, quos generatim, ac seorsim hic appellat Federicus, num Byzantini sunt accipiendi? Nihil profecto minus. Nam quum agatur inibi de Feudis, prout scilicet Longobardica, ac Normannica ferebat disciplina, prædecessores illi sicut ad Normannos quaquaversum convenienter, ita ad Græcos referri nullo pacto possunt, apud quos nulla erat rerum feudalium constitutio. Quod argumentum, ut alia omnia desint, si ad nostram accommodabis Constitutionem, ubi de rebus feudalibus agitur, qui poteris Prædecessorum nomen ullo modo ad Byzantinos referre? Nec quia Federicus Normannos ibi reticuit, propterea exclusisse censetur. Solet enim in narrationibus usuvenire, ut id non repetatur, quod facile ab omnibus subesse intelligitur; quum frigidum putetur, illa inculcare, quæ omnium opinione præsumuntur. Quod sane Federico accidisse minime dubito, qui ea in re dubitationem omnem defore, jure poterat existimare.

Et quidem Federici rebus minime conducebat, tantopere jura & leges Græcorum extollere, ut ab illis suam repeteret Constitutionem. Græci enim Imperatores ægre admodum ferebant, harum ditionum

qua-

qualemcumque amisisse possessionem: nec nisi uti invasores, prædonesque suis monumentis Græci Normannos insectabantur. Quare Federico, qui omne jus Regni a Normannis desumebat, minus commode legibus Græcorum uti convenerat, a quibus jure meritoque amissum Regnum tueri debebat. Eumdemque propterea nihil quidquam in actis suis ad Græcas Constitutiones retulisse legimus: qui in universa, quam edidit, juris forma, constanter semper edixit, res prorsus decernendas legibus primo loco nostrarum Constitutionum, quæ peculiares erant Regni Siciliæ, secundo loco ex Consuetudinibus; hisque ambabus deficientibus, postremo loco judicandum ex legibus Longobardorum, & Romanorum.

Quid vero dicam de *Responsione* illa *Imperiali* ad Gregorii IX postulata? Ibi enim ita explicate, ita disertis verbis, eam Regni Siciliensis propriam fuisse Constitutionem enunciatur, ut citius Herculi clavam extorseris, quam eorum verborum sententiam alio transtuleris. Hæc vero omnia, quæ satis firma, quippe ex certis monumentis, atque ex ipsius rei visceribus desumpta videri debent, postquam confirmata reperiebantur genuino, ut mox ostendemus, ac verissimo Manfredi diplomate, ea nullam amplius cuiquam dubitandi ansam præbere existimabamus. Atque hæc prorsus fuit nostræ inter-

terpretationis ratio. Quæ quidem tunc temporis minus enucleate sunt a nobis disputata, utpote quæ omni caritura difficultate videbantur: quemadmodum nimirum, quin ea ipsa adhuc vim omnem suam retineant, minime dubito.

Nam quæ a te prolata sunt argumenta, ut ad ea tandem dicamus, non satis perspicio, quo pacto possint nostro illi judicio fidem derogare. Quocirca quanquam ex his, quæ hactenus enarravimus, satis nos rem confecisse videri debemus; attamen non erit tibi grave, si tuis illis rationibus quantum sit ponderis tribuendum, paulisper perquiramus. Ac primum illud tuum, minus nempe verisimile & congruens videri, Normannos ejus Constitutionis, ab Ecclesiæ rationibus alienæ, auctores inducere, quos in Ecclesiam munificos admodum extitisse constat; hoc quidem parum, vel potius nihil habet firmitatis. Non inficior equidem, Principes illos munificentissimæ benignitatis monumentis insignem pietatem suam facere studuisse; sed suæ liberalitatis modum tandem adhibuisse, eamque ab Reip. rationibus nunquam alienam fore voluisse, dubitari item non potest. Nam qui tertiam bonorum partem Ecclesiæ erogandam cum ipso Romano Pontifice constituerant, idque satis ad Religionis cultum futurum putaverant; pronum inde fit judicare, eosdem ob id ipsum privatorum largitiones nova ea Constitu-

tio-

tione, sine ulla sacrilegii, aut perjurii religione, inhibendas voluisse. Verendum enim ipsis erat, ne, si Clerici nullis limitibus circumscriptam possessiones acquirendi haberent facultatem, post tertiam partem, aliis quoque partibus manus admoventes, paulatim quidquid erat privatorum occuparent: quod Reip. minime expedire arbitrabantur. Neque id non vidit Federicus Imper., qui in hanc prorsus sententiam in sua *Imperiali Responsione* sese ad Gregorii IX expostulationes purgavit: inquit enim: *Et hoc propterea fuit ab antiquo statutum, quia si libere eis, & perpetuo burgasatica liceret emere, sive accipere, modico tempore totum Regnum Siciliæ (quod inter regiones mundi sibi habilius reputarent) emerent, & acquirerent.* Quod quidem illis temporibus evenire non erat difficile, quibus vulgo mortales opinabantur, eo uberiorem a Deo accepturose peccatorum expiationem, quo effusiores fuissent in dilargiendis bonis suis Ecclesiis. Idque eo molestius ferebant Principes, propterea quod nimium excrevisse immunitates illas tributorum, & soli querebantur, quibus tunc temporis utebantur Ecclesiæ: quarum exemptionum obtentu, dum *servitia*, & publica onera Clerici detrectabant, iis præsidiis spoliabant Remp., sine quibus ipsa stare non posset. De quo per id ferme temporis tanta invaluerat opinio, ut Gratianus sæculo ineunte XII non

non dubitaverit juri divino ipſas immunitates aſſerere. Hoc igitur ne malo publico accideret, providendum curarunt Rogerius, ac deinceps alii. Minime tamen Eccleſias largitionibus, ac liberalitate privatorum defraudarunt, nec piis Chriſtianorum voluntatibus obſtitere. Illud dumtaxat unum caverunt, ne nova Eccleſiæ prædia adipiſcerentur: eorum autem pretium utique retinere ſiverunt. Id autem ab eorum eximia religione & pietate abhorrens exiſtimari non poteſt. Nam, ut eadem prorſus de re edixit Federicus II Aragonius, Siciliæ Rex, *Re minime carere videntur* Eccleſiæ, *quum ſuccedit pretium loco rei*; *Capit. Regni Siciliæ lib. II cap. XXIII.* ubi agitur *De reddendis infra annum rebus translatis in Eccleſiam*.

Normanni nimirum eam Regni conſtitutionem paraverant, ut ſicut homines, ita & res non unius eſſent conditionis. Nam Feuda quædam majora, ſive Capitanea dicta, quædam minora; bona alia itidem allodialia quædam, alia burgaſatica; eiſque varia onerum genera, prout uſus Reipublicæ poſtulabat, impoſita. Ex Feudis ſcilicet onus certum, appellatum *certum ſervitium Curiæ*, debebatur: *non certum* vero, ſive extra ordinem ex aliis poſſeſſionibus. Homines pariter ſicut in varias claſſes tributi, variamque ſortiti conditionem; ita non unam eamdemque habuere acquirendi facultatem. Siquidem Feuda certo civium

or-

ordini fuerunt adſcripta ; a quibus omnes alii arcebantur. Neque ea omnia indiſcriminatim ad quoslibet pervenire poterant : ſed quotieſcumque unamquamque rerum earum ex alio in alium traduci, alienarive contingeret, nunquam id, tam a concedente, quam ab accipiente, fieri permiſſum, ſine Principis auctoritate. Ceterorum autem bonorum, ex quibus ſcilicet *certum* illud *ſervitium* Curiæ minime debebatur, liberam ſivere apud liberos homines acquirendi facultatem. In tanto rerum, & bonorum delectu atque diſcrimine, inque ea Reipublicæ adminiſtrandæ forma, quid mirum, ſi quidam civium ordines a quibuſdam facultatibus comparandis arcerentur? Suas profecto rationes Principes illos in earum rerum procuratione habuiſſe, ex ſtimandum eſt, quæ cuiquam iniquæ videri non debent. Propterea ſi Eccleſias a novis poſſeſſionibus acquirendis prohibuerunt, vitio eis verti nullo pacto poteſt. Latet fortaſſe nobis, quodnam eorum fuerit prorſus conſilium, quæ mens in hac decernenda Conſtitutione. Licet nihilominus exiſtimare, reſpexiſſe eos ad tertiam illam bonorum partem Eccleſiæ tributam; qua una Clerici forent contenti, neve quid præterea de reliquis duabus partibus attingerent, cautum. Fortaſſe etiam ſpectarunt ad ſacri Ordinis conditionem : Clerici enim dum contemplationi, & precibus, prout eorum vitæ ratio poſtulat, vacant, agrorum culturam ea,

qua

qua par eſt, diligentia exercere non poſſunt. Adde denique, ſi lubet, habuiſſe illos rationem immunitatum Clericorum, quarum gratia aliquid de Ærarii rationibus diminui vererentur. Quidquid horum, ſive aliquid aliud, velis, certe neque improbanda, neque ſpernenda eorum Principum ratio atque conſilium videtur, ſi, quo minus Eccleſiæ novas bonorum poſſeſſiones acquirent, prohibentes, pretium tantum eas accipere, poſſeſſiones autem ipſas aliis, qui idonei haberentur, tradere juſſerunt.

Atque ea prorſus de re factum arbitror, ut universa noſtrorum Longobardorum diplomata, quibus bonorum poſſeſſio Eccleſiis tribuitur, illorum Principum auctoritate confirmata inveniantur. Apud Ughellium, Gattolam, Muratorium, alioſque tot ejus generis occurrunt monumenta, ut ea referre, nec vacet, nec neceſſarium putem. Sed hic quidem locus concludi jam poteſt. Nam, ſi quæ a privatis civibus fiebant donationes, uno tenore firmatas invenimus ab illius ætatis Principibus, ut ita nempe ſuorum bonorum Eccleſiæ rite fruerentur poſſeſſione; id ſatis argumenti eſſe poteſt, ſine ea Principali auctoritate irritam fuiſſe poſſeſſionem eamdem. Quod quidem tunc temporis quum univerſe apud omnes fere uſuveniſſe conſtet, idem jus ſi Normanni tenuerunt, nihil de eorum religione & pietate detractum videri debet.

Ca-

Cave autem (bona hoc tua venia dixerim) ne forte duos confundas Rogerios , Comitem patrem , & filium Regem . Nam is , a quo Urbanus Romanus Pontifex petierat , ut post ereptum Saracenis Siciliæ dominatum , tertiam bonorum partem *Extruendis Ecclesiis* , *Monasteriis* , *Hospitalibus* , *Abbatiis* , *&* *Prælatiis* , *ad honorem cultumque divinum* exhiberet, Rogerius fuit Comes : qui autem Constitutionem tulisse perhibetur, Rogerius Rex est, Rogerii Comitis filius.

Nihilo tamen minus haud scio , an omnium Normannorum Principum ea fuerit regiminis ratio , ut nihil de bonis immobilibus sacrum fieret sine Principis auctoritate. Nam & de ipso Rogerio Comite comperimus , tribuisse eumdem Ecclesiæ D. Michaelis Archangeli Trainensis bona acquirendi facultatem . En diplomatis verba, quæ apud Pyrrhum Sicil. Sac. tom. II fol. 1016 , sic efferuntur : *Si quis vero fidelium* , *amore Dei* , *&* *salute ejus animæ compunctus* , *eidem Ecclesiæ ex suo jure dare aliquid voluerit*, *vel Ecclesias*, *possessiones*, *vineas* , *terras* , *domos* , *villicos*, *stet in eorum libertate* . Dum igitur donandi dat potestatem , aliquid fuisse dicendum est , quod donationes ipsas vetaret . Atque inde si Rogerium Regem Constitutionem suam jubendi causam sumpsisse affirmarem, quæ nimirum perpetua esset , & generalis Regni lex , minus a vero aberra-

errare videor. Non enim desunt ejus Rogerii monumenta, ex quibus ipsum legis fuisse auctorem plane licet colligere. In eis enim, quamquam ipsissima Constitutionis verba non exhibentur, formam tamen ipsam, & sententiam videre est. Sic Rogerius Rex anno MCXLVIII potestatem facit D. Joannis Eremitarum Monasterio eos omnes suscipiendi, quibus eo conferri libuisset: daturque insuper venia eosdem recipiendi cum omnibus possessionibus suis, quas scilicet possessiones utique retineret Monasterium, nulla impediente Potestate. Ex quo intelligi debet, aliquod antea fuisse impedimentum, cujus gratia Monasterio, sicuti & Ecclesiis, minime liceret, sine Principis permissu, accipere facultates privatorum. Quod sane de bonis, quæ liberi essent commercii, intelligendum est: nam bona illa, de quibus scilicet certum Curiæ servitium pendi debebat, sicuti nec illis accipere, ita nec his donare fas erat, inconsulto Principe. *Liceat Abbati Clericos, & Laicos cum rebus, & possessionibus suis, sine alicujus personæ contradictione, recipere, & sine alicujus molestia retinere, exceptis Feudis, & possessionibus, quæ sunt alicui servitio obligatæ, quæ nec ipsi recipere, nec illi offerre, absque nostra, nostrorumque heredum licentia, præsumant.* Apud Pyrrhum Sicil. Sac. t.II fol.1111 §.XII Quis, amabo, his in verbis non perspiciat,

non

non dicam adumbratum, sed penitus ferme expressum Normannicæ Constitutionis contextum? Cum qua, quæ a Federico postmodum lata est Constitutio, mire consentire, quis sanus dubitabit? In utraque enim, quæ bona libera forent, quæque certo servitio, ac vectigali haberentur addicta, designantur: idemque prorsus ambæ, tam acquirendi, quam retinendi præseferunt interdictum. Similia aliorum diplomatum recitari hic possent verba: quæ quia facile consuli possunt apud Pyrrhum in sua Sicilia Sacra, omittenda puto.

Guilelmi potius Regis, qui secundum Rogerium regnavit, nonnulla prodamus monumenta. Is itaque privilegium traditurus Ecclesiæ D. Mariæ de Bordonaro, sic ait: *Ego prædictus Rex Guilelmus . . . Venisti coram nobis tu Rogerius de Secretis . . . ut confirmaremus præsens privilegium, seu sigillum, quod sponte obtulisti Deo pro remedio animæ vestræ . . . infrascriptis Monasteriis.* Ap. Pyrr. ib. fol. 1009. Quid, quæso, verba isthæc sibi volunt? Illud enimvero, sine Regis assensu non licuisse Ecclesiæ illi nec acquirere, nec possidere. Ejusdemque Guilelmi legimus D. Michaeli Archangelo Trainæ tributum privilegium, quo Monasterium illud de Burgensibus, & Colonis comparare possessiones posset. *Præterea concedimus licentiam prædicto S. Monasterio, si facultas est, possessiones libere, & sine molestia emere*

re a Burgensibus , & Colonis : & si quis voluerit fieri Monachus , sine omni impedimento , cum omnibus suis rebus recipiatur ab Abbate pro tempore . Ib. fol. 1017. Nolo in ejusmodi enumerandis testimoniis multus tibi videri, utpote in re minime dubia. Verum his in monumentis quemlibet perspicere arbitror formam Constitutionis , quæ apud Normannos universe servata est , utcumque ab eisdem disertis omnino verbis usquam indicatam non legimus : cujus Constitutionis vi , facta rerum partitione , prohibitum fuerat , ne Ecclesiæ quidquam de bonis stabilibus acquirerent , nec retinerent , antequam a Principe impetrassent privilegium. Quæ quidem si cum verbis illis tuis conferas : *Ante Federicum ea de re Constitutionem in Regno Siciliarum nunquam fuisse latam , confidenter asserimus* ; illud profecto a te nimium festinanter dictum , fatearis oportet . Nam , nisi pertinaces admodum esse velimus, in toto Normannorum Principum regimine , ad Guilelmum II usque , eam legem cum primis viguisse , inficiari non possumus : quam in sua illa pupillari ætate, & rerum perturbatione , irritam quodammodo factam , questus deinde est ipse Federicus .

At nusquam, inquies , nobis apparuit hactenus veteris illius Rogerianæ Constitutionis integrum exemplum . Quasi ad nos vetera monumenta & publica , & privata pervenerint omnia. Atque id ipsum a Federi-

co præsertim indicatum videmus. Ipso enim suæ Constitutionis exordio queritur, veterum illam prædecessorum suorum legem, ob turbationem præteriti temporis fuisse antiquatam, eamque propterea ab se nova jussione instauratam. Quod adeo compertum, ut eam ipsam veterum legem ab se fuisse confirmatam Federicus ipse alibi affirmet. Concessurus enim Monasterio Montis Virginis facultatem comparandi, ac possidendi bona stabilia, ait: *Et ea nunc ipsi Monasterio ab omni servitio Curiæ nostræ debito perpetuo liberamus . . . . Non obstante Constitutione aliqua prædictis omnibus oblationibus, & donationibus contraria, a majestate nostra edita, seu CONFIRMATA, quod bona stabilia Ecclesiis, & religiosis locis oblata vendi, & alienari debeant infra annum . . . . . Datum Fogiæ an. MCCXLI.* Extat ejus diplomatis exemplum in Tabulario ejusdem Monasterii Montis Virginis vol. VIII, fol. 77. Quod si Federicus confirmavit, eam nimirum Constitutionem confirmasse existimandum est, quæ lata jam in eodem Regno, non aliunde petita fuerat: neque enim aliter propria verborum vis & significatio constare poterit. Manet igitur illud, quod volumus. Quoniam ea Constitutionis forma Normanni usi sunt, qua profecto usos fuisse, veterum monumenta nos addubitare non sinunt; quid necesse habemus, ad Græcos potius, quam ad Normannos Reges Constitutionis illius prædecessores referre? At

At Byzantinos Imperatores luculentas ea de re leges tuliſſe, eoſdemque ætate Federico præiviſſe, conſtat. Quid ni? Id ipſum ego non diſſimulanter enarravi in Adnotationibus, non unis locis allatis ex Jure Græco-Romanorum de Leunclavii interpretatione, & ex epiſtola Innocentii III, Rom. Pont. Verum ad illos potius Federicum reſpexiſſe, quam ad Reges noſtros, illud vero eſt, quod concedere non poſſumus. Quin ſi eas ipſas Græcorum leges propius inſpiciamus, inde ſane non leve fortaſſe argumentum deſumpſerimus, quod vel maxime ſententiam noſtram confirmet. Non inficior equidem inter Conſtitutionem Federici, & Græcorum hoc prorſus convenire, ut ſacris locis nova bonorum poſſeſſio interdicatur; idque dumtaxat eis relinquatur, ut juſtum æſtimationis pretium, non poſſeſſionem ipſam accipiant. Attamen quod Græci promiſcue, & generatim, nec ullo temporis termino definito, juſſere; Federicus magis circumſcripte, & peculiari ſibi ratione edixit, ut nempe, quæ Sacra Domus *inſtitutionem, vel legatum acceperit, teneatur infra annum alicui de proximis defuncti, vel de burgenſibus noſtris relicta ſtabilia vendere*. Quod quum proprium ſit, & præcipuum tum Siculæ, ſive Rogerianæ, tum Federicianæ Conſtitutionis, nuſquam autem id legatur in Græca; ſatis ex eo debet intelligi, nunquam Federicum ad Byzantinos Imp. rem detuliſſe: ſed dum Præ-

 de-

deceſſorum ſuorum veterum Principum Conſtitutionem confirmare profitetur, illud ſane oſtendit, eam propriam fuiſſe Siciliæ, inque eodem illo Regno latam legem. Quod quidem luculentiſſimis deinde verbis ſignificavit in ſua *Imperiali Reſponſione*, in qua non ſemel, atque iterum eam vocat *antiquam Conſtitutionem Regni Siciliæ*; ſed addit inſuper: *Et hoc propterea fuit ab antiquo ſtatutum, quia &c.* Quid, quæſo, fuerat ſtatutum? Illud enimvero, quod indicaverat; nempe *quod nihil poteſt eis, ſine conſenſu Principis, de burgenſaticis inter vivos concedi, vel in ultima voluntate legari; quin poſt annum, menſem, ſeptimanam, & diem aliis burgenſibus ſecularibus vendere, & concedere teneantur*. Dum itaque ad iſtiuſmodi exempli legem ſuam Federicus refert Conſtitutionem, quoniam nullam ejus formæ apud Græcos invenire eſt Conſtitutionem; quis non videt, eam ſic ad Siciliæ Regni Principes pertinere, ut nullos alios Federicus, præter eos, prædeceſſores intellexerit?

Nam quod contendis, ibi pro *antiquæ Conſtitutionis*, legendum *antea datæ Conſtitutionis*, eumque iteratum fuiſſe mendum amanuenſium, arbitraris; quam parum feliciter eam emendationem ſuſceperis, pluribus oſtendere non eſt neceſſe, quum cuivis nullo negotio id pateat.

At ipſemet Federicus ait: *Et hæc eadem* Conſtitutio *obtinet ultra mare*. Quaſi obſcu-

ſcurum ſit, quorſum verba illa Federici pertineant. Nam, ut ex ipſa nativa verborum vi, & contextu orationis plane colligitur, id unum Federicus voluit, non eſſe, cur ea Conſtitutio ut in Eccleſiam injurioſa traducatur, quum par Conſtitutio jam pridem ultra mare, hoc eſt, in Græcorum Imperio obtineat: ut, ſi in nobiliſſimis Catholicæ Eccleſiæ regionibus lata ea lex fuerit, cur ab ſe ferri ſuo in Regno non potuerit? Quod ſi ad hanc ſententiam rem traducere placuerit, ad exemplum nempe, ſicuti ceterorum Principum, ita & Græcorum, ſuam Federicum edidiſſe Conſtitutionem; in eo ſane tibi non refragor: modo ſtet illud, formam ſuæ Conſtitutionis Federicum non a Græcis, ſed a Siculis Normannis Regibus revocaſſe.

Quid ſi, quo tempore eas Conſtitutiones Græci Imp. tulere, nullam Siciliæ habebant poſſeſſionem? Satis enim ex veteribus annalibus conſtare arbitror, Saracenos, pulſis Græcis, Siciliam occupaſſe jam inde ab ſeculo VIII; nec, niſi advenientibus Normannis, hoc eſt, labente jam ſeculo XI, dejectos eos ex diutina Siciliæ poſſeſſione. Atqui primus, quem apud Græcos eam legem ſanxiſſe legimus, fuit Imperator Romanus, cujus Conſtitutioni annus adſcribitur DCCCCXXVIII. Quoniam igitur Græci ſuarum ejuſmodi legum tempore nullum apud Siculos principatum habebant, inde plane apparet, eoſdem a Fede-

rico prædeceſſores ſuos dici minime debuiſſe, qui leges illas ſuas in Sicilia, quam non regebant, promulgare non poterant.

Venio nunc ad Manfredi Regis diploma: quod quidem hujus diſputationis cauſa eſt & fundamentum; quodque, ut ſupra etiam oſtendimus, omnem de medio tollit difficultatem. Ibi ſiquidem non obſcuris, ſed luculentiſſimis prorſus verbis demonſtratur, non alios omnino prædeceſſores illos fore intelligendos, quam Rogerium, & Guilelmum Reges. Manfredus enim, poſtquam Domui Hoſpitalis Theutonicorum bona acquirendi, & poſſidendi facit poteſtatem, addit: *Non obſtante Conſtitutione Divorum Proavorum noſtrorum Regum Rogerii, & Guilelmi, confirmata poſtmodum per quondam prædictum Dominum Patrem, & Fratrem noſtros felicis memoriæ, & noſtris etiam Conſtitutionibus comprehenſa, per quam mandatur expreſſius, ut poſſeſſiones omnes, & bona ſtabilia ſacris locis, & ipſorum Prælatis a quibuslibet patronis oblata, ultra annum retinere non debeant, ſed diſtrahantur omnimodo, ipſorum pretium ad utilitatem Eccleſiæ, cui oblata fuerint, convertendo.* Datum hoc diploma fuit Panormi ad annum MCCLXII, trigeſimo omnino vertente anno, poſtquam Federicus ſuam ediderat Conſtitutionem. At Manfredus, qui ita paternis documentis fuerat inſtitutus, *ut mens, & manus Federici* ab illius ætatis Anonymo

mo appellaretur, dignus habitus eſt, cui, patre vita excedente, ſumma rerum tuenda traderetur, ac generalis Regni *Balius* a Federico conſtitueretur. Qua in poteſtate tantam præſetulit ſolertiam, ut, quemadmodum monumenta teſtantur, novo in regimine nulla *interruptio viſa fuerit facta paternæ felicitatis & pacis: ſed continuato dominio patris ad filium, idem videbatur eſſe regimen Principis, quod fuerat Imperatoris*. Hic igitur paternarum rerum & Conſtitutionum ignarus non modo exiſtimandus non eſt, ſed potius optimus teſtis, & explanator habendus. Atqui hic ille eſt Manfredus, qui Federici Conſtitutionem interpretatus, ejus primævæ Conſtitutionis auctores fuiſſe Rogerium, & Guilelmum enarrat. Quod monumentum tanti apud nos tunc ponderis fuit, ut nullum amplius dubitandi locum nobis relinqueret: eademque in ſententia cur nihilominus nunc perſeveremus, quidnam hactenus eſſet, non videmus.

His omnibus adde, Manfredum eo in diplomate conficiendo opera uſum fuiſſe Gualterii de Ocra Regni Cancellarii; at cujus viri! Fuit nimirum Gualterius apud Federicum magno in honore habitus, cujus in Aula verſatus plurimum erat. Adfuit collectioni Conſtitutionum. Fuit amicus, & in rebus gerendis comes Petri de Vineis, qui eas Conſtitutiones in unum corpus digeſſit. Fuit quoque ab ipſo Federico ad-

hi-

hibitus in illuſtri legatione ad Britanniæ Regem anno MCCXLII. Anno poſtmodum MCCXLV miſſus ad Concilium Lugdunenſe una cum Thaddæo de Sueſſa, & Petro de Vineis. Eumdem Archiepiſcopum Campanum deſignatum invenimus. Quid multa? Ita quoquo te verteris, Gualterium intueris virum doctum, perſpectæque fidei, ac tandem perfunctum rebus ampliſſimis, ſummum dignitatis gradum tenuiſſe apud Manfredum Regem: facile ut quivis intelligat, ei non modo nullam ignorantiæ notam inurendam, ſed maximam potius fidem adhibendam, utque teſtem locupletiſſimum habendum: quippe æqualis temporum illorum, & qui forte eiſdem quoque Conſtitutionibus deſcribendis aliquando manum admoverit: ab ipſo certe Petro de Vineis rem omnem veriſſime potuit accipere. Qui proinde ſi Conſtitutionis auctores vocat Rogerium, & Guilelmum, id perinde deſumendum, ac ſi ab ipſo Federico res tradita nobis eſſet.

Quare mihi facile in animum induco, quæ tua eſt maxima rerum cognitio, ſaniuſque judicium, te probe intelligere, quanta hujuſce argumenti vis ſit, & pondus. Nihilominus quia ad maxima quæque,& ſublimiora contendere videris, aliquid aliud, quod auguſtius eſſet, ejus in Conſtitutionis origine excogitare malles. Placuit igitur tibi, verbo tenus ſuſpecti, incertæque fidei poſtulare hoc ipſum Diploma. Sed

quæ-

quæso, mi Vari, omittamus tantopere istam diplomatum falsitatem inculcare. Satis jam satis rixarum & contentionum nostra ætas vidit: satis turbarum nimia nonnullorum in dubium omnia revocandi libido excitavit. Nullum propemodum vetus diploma in lucem prolatum est, quod non sit falsi suspectique postulatum. Quid ita? Quia decertantibus partibus, dum alter commoda & rationes suas tuetur, alter appugnat. Quo fit, ut nunquam desint, qui, nodum in scirpo quærentes, quasvis falsitatis notas singulis in veterum chartis non deprehendant, non sine cordatorum hominum stomacho. Sed quænam tanta ista intemperies, monumenta tot, tot res vetustate robustas calumniando velle pervertere? Hos, inquam, missos faciamus, rogo: quandoquidem nihil adeo apud doctos jam risu dignum videtur, quam locis illis communibus uti: quod perditæ, & iniquæ causæ certissimum indicium nonnullus poterit existimare.

Attamen, ut omnem ex animo tibi scrupulum evellamus, neve ad putidam illam disputandi rationem forte devenias, accipe paucis quidquid ea de re dici unquam, aut excogitari poterit. Nego eo in diplomate quidquam reperiri, quod minus rerum a Manfredo gestarum ordini, temporibus, antecedentibus, consequentibus, cunctis denique, quæ, etiam de cujusvis morosi critici sententia, ad illius veritatem confirmandam pertinent, conveniat,

niat, aut quid falsi redolere videatur. Et quidem si diploma istud ab ullo unquam confictum credatur, id profecto neutiquam evenisse, nisi post Manfredi tempora, quin & post ipsam Aragonensium primam stirpem, oportuit. Manfredus enim, & Jacobus, nec non ipse Federicus Rex, qui eam Imperialem Constitutionem, cuncta consentiente natione, instauravit, utique suppositionem, si qua unquam fuisset, pernoscere poterant; neque adeo peculiariter idem privilegium cuiquam dilargiti fuissent. Ergo conflatum diploma videri posset post XIV seculum. At nulla tunc mendacio merces, quum prolapsa disciplina prorsus ceciderat. Ex eo quippe tempore opinari vulgo sic cœperant, quoniam rerum pretium ab Ecclesiis auferri nullo modo poterat, parum interesse, ipsarum rerum eisdem tribuere possessionem. Denique quidquid conjectari libuerit, scito idem Manfredi diploma a duobus fuisse exscriptum Notariis, anno scilicet MCCLXII, ac proxime insequenti, eaque exempla asservari in membranis Tabularii Domus Mansionis, ut narrat Mongitorius in Monumentis historicis ejusdem Sacræ Domus Mansionis. Quid plura? Vereor enim, ne nos nimis multa de re apertissima.

Id unum postremo loco addamus, paulisper finito. Neque enim existimes velim, nos uno Manfredi diplomate niti, quasi solus fuerit Manfredus, qui præde-

cef-

cessores Federici nobis declaraverit. Sunt & alii Principes, qui a Manfredo minime discreparunt. Nam XXXV non amplius annis post Federici Imp. obitum, Jacobus Rex ut prædecessores, auctoresque Constitutionis agnovit Rogerium, & Guilelmum. Id quod diserte indicavit in eo diplomate, in quo Theutonicorum privilegia, resque, quas possidebant, confirmans, addit: *Non obstante Constitutione Divorum Proavorum nostrorum Regum Rogerii, & Guilelmi, confirmata postmodum per quondam Serenissimum Imp. Federicum proavum nostrum felicis memoriæ, & etiam ipsius Domini Avi nostri Constitutionibus comprehensa, per quam mandabatur expressius, ut possessiones omnes, & bona stabilia sacris locis, & ipsorum Prælatis, a quibuslibet personis oblata ultra annum unum retineri non debeant, sed distrahantur omnimodo, ipsorum pretium ad utilitatem Ecclesiæ, cui oblata fuerint, convertendo, &c. Datum Panormi MCCLXXXV, XXII. Febr.* Quod diploma in alio Regis Federici diplomate descriptum legimus, apud Mongitorium loco modo indicato. Atque hic licet animadvertere, tantum per id temporis tributum Manfredo, ut ipsi quoque Regni Constitutiones adscriberentur: idque ea forte de caussa factum arbitror, quod Federico proxime quum successisset, earum Constitutionum auctoritatem imperio suo firmaverit. Sed ad rem redeamus.

Fe-

Federicus Rex, qui paucis omnino annis post fratrem suum Regnum accepit, ad annum scilicet MCCXCIX eadem privilegia suo diplomate confirmavit, ibique integrum Jacobi Regis, qui proxime regnaverat, diploma transcribitur: ut facile quivis possit intelligere, diploma illud ut germanum ab eo habitum, ac legitimum.

Petrus II Rex, anno MCCCXXXIV., Federici II diploma comprobavit, in quo descriptum, ut diximus, legebatur Jacobi Regis diploma.

Similia legimus de ceteris Regibus, de Ludovico scilicet, qui, quod Petrus Rex ediderat diploma, confirmans, suo adjecit: De Martino, qui anno MCCCXCII eadem privilegia Domus Mansionis, præcipueque diploma, quod dederat Jacobus Rex, confirmavit, inque suo inseruit diploma Ludovici Regis: De Rege Joanne, qui ad ann. MCCCCLXIV cuncta ea privilegia rata habuit, ac præ ceteris Federici, & Jacobi diploma complexus est: Ac tandem de Ferdinando Rege Catholico, a quo & privilegia ejus Domus Mansionis confirmata sunt, & suis in litteris diploma Regis Joannis, quod pariter diploma Regum Federici, & Jacobi complectebatur, comprobatum. Quæ singula perscripta invenies apud eumdem Mongitorium ex tabulis ipsiismet Ecclesiæ Mansionis, & ex publicis Regni Tabulariis.

riis. Atque hæc omnia privilegia, ac diplomata tantam vim apud justos rerum æstimatores habent, ut quidquam falsi, aut commentitii in Manfredi Regis diplomate excogitari a quoquam non facile patiantur: sunt enim ejusmodi, ut omnes in se habere numeros veritatis, minimo negotio comperias.

Hæc ad te scribenda duximus, ut quid esset, quod nos, quominus de vetere nostra sententia discederemus, prohiberet, te facerem certiorem: quæ etsi singula te hominem doctum movere possunt, universa certe quemvis vel pertinacissimum movere debebunt.

Hui! inquies. Tam multa de re præsertim haud magni momenti? Fateor equidem, me longius progressum, quam initio constitueram. Sed nosti scriptionis rationem. Dum aliud seritur ex alio, hanc demum exaravi pluribus verbis epistolam. Quanquam his de rebus tecum, viro nostrarum antiquitatum peritissimo, litteris colloqui, mihi fuit admodum jucundum: ut, si a te æque verbosiorem eliciam epistolam, majorem, si fieri potest, nostræ controversiæ accessuram lucem existimem. Sic enim arbitror, minime, quod nostra nonnihil refert, opus esse aliunde ascitam comminisci Constitutionem, quum nostra prorsus ea fuerit lex, orta scilicet cum ipso Regno, quippe ab ipso Regni conditore Rogerio promulgata, inque primis Regni insti-

ſtitutis inſerta, atque ab inſequentibus deinceps Normannicæ ſtirpis Principibus apud nos, apud Siculos autem diuturniori Regum ſerie uſurpata. Vale XVII Kal. Maj. an. MDCCLXXIV.